



Disputatio medica inauguralis de sterilitate

<https://hdl.handle.net/1874/345166>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

STERILITATE,

QVAM
FAVENTE TRI-UNO NUMINE,
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos, & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, ac Nobilissima
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, ac Privilegiis ritè,
ac legitimè consequendis,

Publica disquisitioni subjicit

PAULUS ROETERS, Amstel. Bat.

Ad diem 13. NOVEMB. horis, locoque solitis.

37.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academix

Typographi, cl̄ Ioc xci.

Integritate morum Conspicuis VIRIS,

- D. OTTONI ROETERS, Mercatori
apud Amstelodamæos sagacissimo, Genitori suo ad ultima
suspicio plurimum colendo.
- D. JACOBO ROETERS, Huic Patruo, illis avunculis mercatorib. Amstelod. Batav. feliciss.
- D. SAMUELIS SPRUYT DAVIDIS,
- D. ISAACO BRAMEN, summe honorandis.

MAJUS ET MINUS

U T E T

Nobilissimis, Amplissimis, ac Consultissimis VIRIS,

- D. WILHELMO THEODORO STRIEDER,
Sereniss. Ele&t. Brandenb. Consiliario, mercaturæ admini-
strandæ præposito excellentiss. Mœcenati summo.
- D. ARNOLDO HUYSZ, J.U.D. Ambobus Causarum & consuli assindiensis civitatis.
- D. JOANNI STALMAN, J.U.D. Patronis longe me-
ritissimis.
Scabinoque Embricæ.

NEC NON

Celeberrimis VIRIS,

- D. ABRAHAMO RAVEN, Medic. Doctorib. & Practic. experien-
tiss. ob plurima collata in fe huina-
nissime beneficia ad ultimum vite
halitum, quam maxime æstiman-
dis.
- D. FLORENTIO RAAP,
- D. JOSEPHO SERRURIER,

*Cum se totum deberet exercitium
hoc academicum*

L. M. Q.

Sacrum facit

*PAULUS ROETERS,
Auct. & respond.*

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S
D E
S T E R I L I T A T E.
T H E S I S I.



Um dulce suis reviviscendi in posteris solarium adimat mortalibus Sterilitas, magnarumque inter Conjuges contentionum s̄æpe sit causa, evicit materiæ hujus nobilitas, & maximus in Medicina usus, ut meas de ea, quatenus est a parte fæminæ, cogitationes pro Lemmate Inaugurali expонem; exordiens à partium generationi dicatarum structuræ, & functionis debitæ aliquali adumbratione, ut visis iis, sine quibus conceptus non fit, quænam impediti ejus causæ sint, facilius dignosci queat.

I I.

Dumque à viventibus justo conceptu vita multiplicetur in plures, considerationem meretur nostram, quod, vita animantium in motu particularum continuo consistente, gradus vitæ, & perfectionum nullo alio distinguantur signo, quam pluralitate, & celeritate motuum, quos edunt: sicuti videmus perfectiora animalia pluribus, & vehementioribus motibus agitari, quam imperfecta, atque hæc, quam plantæ, videlicet magna, etiam tam ratione partium productionis ad leges Mechanicas, quam

DISPUTATIO MEDICA

succorum motus circularis in plantis, ac viventibus, datur analogia:

Et quod omnes motiones animantium fiant à partibus fluidis intra capacitatem consistentium motu fermentatio intestino, atque locali progressivo circulando, qui utrique, quo majores sunt, eo efficacius tubuli dilatabiles ex crassioribus, motuque minus obsequentibus consistentes, tam particularum appositione, quam intra poros incuneatione ulterius prolongantur, atque dum in spermaticis arteriis, & nervis, (quorum primordia, & ortus non sine totius generationis, ex legibus molis, figuræ, & motus, deductione exponi possunt, hoc cum extra scopum, & valde operosum sit, placuit spermatica vasa, ut jamjam efformata presupponere:) virorum potentius prolongatio contingit, hinc ex minore motu necessario minus, & debilius in sequiori sexu producta vasa citius in furculos subdividuntur, & quidem arteriolarum minutissimi, vel sejunctim, post passam resistentiam inflexi, in glandulas intorquentur, vel conjunctim cum nervulis, (horum spiritibus sanguineas, sive analogas particulas in poris juxta positis exagitantibus,) componunt, & formant fibrarum musculosarum rhombos vesiculares, in longum & latum distrahibiles, rhomborumque catenululas in tendinosas arctiores fibrillas utrimque desinentes.

A quo duplici partium genere glandulolo, & musculo maxime generales non solum secretionis liquorum, & motus partium functiones, sed & omnium universi corporis partium aliarum origines, ubique deducendæ veniunt, speciatim hic, succis, & tubulis continuo adaequantis, & multiplicatis, ex glandulis pluribus non regulari serie, & ordine in circumferentia, *ut fit in renibus*, sed varie supra se invicem dispositis, tubuli excretorii non æquilateri singuli separatim pergentes, sed mutuo se se occurrentes,

tes, & perforantes, conjunguntur in ductus communes majores, quandoque in unicum convenientes, ut in *parotidis*, & *pancreatis*, quandoque disjunctim manentes; ut in *prostatarum* liquet ductibus; quorum ductuum superficiem peragrantes surculi arteriosi, & nervosi fibris musculosis oblongis, atque circularibus exornant, quibus constrictis motus peristalticus liquoris secretionem, & propulsionem modificat, & quarum tendinosæ fibræ arctatae, induratæ, & in membranas expansæ, cohæsionem partium organi, ejusque integumentum, sive tunicam constituant tensam, & firmam: dumque motu peristaltico ductuum liquor modo adjuvatur, modo remoratur in progressu, facillime ejus particulæ aquosæ, spirituosæ, & aliæ tenuiores per poros dilatabiles, à reliquis secedentes novas sibi vias, primordia Lymphaticorum, sicuti sanguinis crassiores motum rectilineum validius servantes, ex glandularum angulis venarum rudimenta instituerunt, quo ipso liquamen crassiusculum redditum, tardius propulsioni obsequens, ductum, in quibus continetur, prolongationem promovet, ipsa eadem proportione, qua in virili vasa spermatica ultrâ, in muliebri sexu, citra peritonœum fuerunt elongata, usque adeo vel sufficiente promotione, ut omnes ductus post prolixas, (unde virorum testium major moles,) & varias contortiones instar tenuum intestinorum, quibus, quoad fibras musculosas in convexa, & glandulas in concavâ superficie cum suis excretoriis tubulis regulariter dispositas, hic, & ibidem quasi crustâ villosâ, sive substantiâ spongiosa medullari cavitatem implentes, optime comparantur; tandem tegumentum perterebrantes, invicem inserti, in unum *Epidydimidis* vas uniantur: vel deficiente, ut propter tendinosam membranam hic sificantur, vi propulsus ob retrò pulsionem adauctâ, extrema ductuum expandente, &

dilatante in globosam figuram, eâdem plane ratione, quâ nervi optici extremitas ab ejus muscularum tendinibus corneam constituentibus, præclusa in globum oculi cogitur: quippe nunquam linea recta facilius, magis æ qualiter, & minus in unoquoque ex suis punctis inflectitur, quam dum degenerat in circularem.

Hinc necessario totidem globositates, quot sunt diversi ductus, qui sunt pro pedunculis, quibus appendent, ex quorum ductuum poris, contento ad aucto, quandoque alios laterales propagari negari vix poterit, quin etiam ob id ipsum contentum augmentatum, aut ex conceptu, per spirituosas seminis masculini, particulis motu rapidiore agitatis, & certo in puncto ad ordinem, & mixturam sanguinis dispositis, motui ineptis, extrorsum propulsis, & pelliculam constituentibus, turgescens globositas ductum, quo liquamen suppeditatur, comprimit, quo tum arescit pediolus, tum tunica obvolvens tensione tandem rumpitur, postquam aliquatenus ad ovi-ductum reciprocè accedentem accessit, adeoque liquori pellicula testo, ovulo jam appellando, delabendi datur copia, globositate ductus propter ampliata vascula, & glandulas tumidiores, & numerosiores, remanente turgida, & conspicua, quæ postea sensim minuitur.

III.

Hujus à deciduis ovis ovarii nuncupati tegumentum tendinosum superiori parte expanditur in peritonæum, quod lateraliter tangit, inferiori parte, quâ cavum abdominis respicit, prolongatur modo in membranam instar infundibuli semicircularem. (quod magis in brutis) modo in lacinias ex latiori in angustum excurrentes, quarum cursum consequentes, arteriarum, & nervorum surculi

culi efformant fibras musculosas oblongas ad invicem accedentes, inter quas cavum remanere necesse est, eodem omnino modo, ut à sex œsophagæis musculis circa fauces appropinquantibus, pharyngis fit initium, circularibus sphincteris fibris circumambiendum, juxta cuius cavi convexitatem directi arteriosi, & nervosæ surculi fibras circulares absolvunt; quæ binæ ad omnem musculum fistulosum requiruntur, quarum fibrarum tendinosæ expansiones fimbrias adaugent, ac ligamentum alam vespertilionum dictum, quo fistula hæc ovi-ductus nomine insignita ovario, ac dein utero adnectitur, consti-tuunt, oviductus concavo tunicâ glandulosâ prædicto, cum arteriolarum in glandulas intortio inter fibras tam musculosas ob motum, quam tendinosas ob duritiem, & cohærentiam impediatur, ubi vero nulla impediens causa, ibidem glandularum proventus, ac liquoris cavitatem conservantis secretio, semper præsentes sunt.

I V.

Binis invicem concurrentibus ovi-ductibus, ex con-junctione fibris duplicatis, novum constituitur organum, utriusque oviductus receptaculum, figuræ ex triangulo globosæ, in qua fit receptio, in collum oblongo-angu-stum, per quod expulsio, excurrentis, ad similitudinem tum contractæ vesicæ, ex binis uretheribus iisdem fibra-tum ordinibus, ac oviductus prædictis, formatæ, in col-lum desinentis, tum præcipue gallinaginis, sive carunculae ex unitis virorum deferentibus, urethram perforanti-bus constructæ, cui ratione ortus & strukturæ, ita con-venit, ut gallinago virorum, illud, mulierum uterus dici possit, si æque in ea ob seminis receptionem, dilata-tione facta, arteriis, & nervis ad novas, & plures fi-bras.

bras musculosas producendas fuisset exhibita necessitas, quam proximis deferentibus indidit, iis tum ob duplo pauciores fibras multo debilius contractis, & facilis à feminis coacervatione in cellulas expansilibus, tum quia crassius semen tardius propulsum hærendo magis dūctus, quam ex eorum unione factam gallinaginem, validius se contrahentem expandebat; è contra fluidior, (ut urina in vesica) liquor ex oviductibus, facilis propulsus, diutius ob colli numerosiores! fibras circulares, sive sphincterem retinetur in utero, hinc magis expanso, ac proinde inter fibras ex hypogastricis arteriis, & nervis, aliis ad priorum cursum additis, majore, carnosiore, & magis dilatabili reddito, similiter expansorum ventriculi, intestinorum, cæci, recti, vesicæ &c. copiosiorum fibrarum oblongarum, & circularium sphincterum necessariæ productionis exemplum hanc uteri, & ejus colli numerosiorum fibrarum oblongarum, separatim contractarum, ejus apertioni & circularium clausuræ inservientium, (quod itidem à rectis, & circularibus in pupilla & palpebra fit) formationem ex abundanti illustrat, & cōprobat; nisi eandem potius, vel simul deducendam existimemus ex oviductuum præ vasibus deferentibus, (ad quæ, utpote extra abdomen orta, arteriæ hypogastricæ rami, & nervi non ita pervenientes non implantantur) majori carnositate efficacius in commune receptaculum, seu uterum, hinc ampliandum, urgente liquorem contentum, cui quandoque adjunctum esse ovulum, licet subventaneum, quispiam piscium, & avium exemplo inductus, facile opinaretur, propellendum eò, ubi oviductuum vires æqui-libratæ terminantur; dependet insuper à minutissimis circumstantiis, ovulorum numero, spermaticorum vasorum in brutis fæmellis minore prolongatione, atque ex altiori incipientibus, longioribus, &

INAUGURALIS.

& magis inflexis oviductibus, ut hi, ovis in via nutrimento adauctis, pro parte ampliati, locum uteri ferant, cuius tunc *Cornua* audiunt, & est hic tantus exspatiandi campus, ut fræno, non calcari opus sit, quapropter non multum circa ligamentorum considerationem hærebimus, cum ipsa sint tendinum muscularum uteri, vel in latum, vel in longum protensiones.

V.

Quod ab uteri orificio inter sacri, coccygis, coxendicis, & pubis ossa spatium, (cur amplius, quam in viris, disquirere non permittit instituti ratio) recto, vesicā, ejusque collo, ac clitoride non repletur, id totum cute membranosa, scroto fere consimili, laxā, atque à panniculi carnosī, musculi corporis universalis, fibris in varias plicas, & rugas contractā, plurimis glandulis dotatā, obducitur, cuius, vaginæ ob usum dictæ, extremitas in parte superiori pertusa, vel potius non superducta fuit urethræ, in quam ex prostatis post cervicem vesicæ ad ejus latera locatis, ductus, lacunæ dicti, sese exonerant, quæ urethra in cavum vaginæ propinquum facilius terminans, propterea non excurrebat clitoridis, nec tantæ, nec tam propinquæ, ac virorum penis urethræ est, longitudinem, de cuius structurâ paucula adjungendo, formationis partium genitalium disquisitio abrumptetur.

V I.

Arteriæ hypogastricæ; quarum rami nervis juncti cervicem, & sphincterem vesicæ, atque ad latus urethræ, in glandulas intorti, loci aptitudine occasionem præbente,

B

pro-

prostatas produxerant, in surculos ibidem minutissimos cum paribus nervosis juxta currentibus (arteriarum pulsationibus nervis viam præparantibus, & facilitantibus) distinctæ, fibras muscularorum clitoridis, (in viris penis, cuius moles earum copiæ, validiorique tendinum prolongationi debetur,) hic loci necessario construunt, quorum tendinum prolongationes, ad normam omnium muscularum fibris oblongis constantium, directæ, in diversum tendentes, quæ parte capita dicuntur, induratæ, os pubis, & coxendicis, pro rato aliorum tendinum concurrentium, constituunt, quæ parte fines audiunt, propter vasa sanguifera inter fibras excurrentia, & eas humectando ab ultima induratione conservantia, atque in varicosas (tunicis ob muscularum contractiones saepius angustatis) ampliationes subinde dilatata efformant non speciem cartilaginis, aut ossis, quod alias fere semper ubique, atque hic etiam in canibus fit, quorum vasa in superficiem excurrentia magis dilatantur, sed corpora spongiosa mediæ inter ligamentum, & cartilaginem consistentiæ, septo distincta, quippe ab utriusque lateris diversis tendinibus orta, sensim in glandem terminantur, quæ internè ex ipsis constituitur, externè fibris tendinosis, sanguineis, & nervosis vasibus intertextis, atque continuata tenuiore corporis cute constat, quæ in fæminis lateraliter inde per vaginam ascendens, (hinc viris frænulum) in alas, sive nymphas producitur, quarum ligamenta membranosa circulariter expansa hymenem ponunt, & quæ, ut ipsa clitoris, à sanguine remorante turgescunt actu in venereo,

V I I.

Cui dum incumbunt conjugati, seminis virilis in uterum,

rum, & vaginam factā ejaculatione, siquidem spirituofores, salinæ volatiles ejus particulæ, præcipue per uteri poros propter sanguifera numerosiora, usque adeo copiosæ sanguini fuerint suppeditatæ, ut non solum in totâ ejus massa (symptomatibus in universo corpore id ipsum testantibus) intestinæ agitationis variatio contingat, sed etiam cum sanguine ad ovarium, & speciatim ad eam globositatem (cum inter eas ratione molis, & dispositio-
nis detur differentia) cuius contentum diutinâ congestio-
ne, ac quarundam particularum per lymphatica relegatio-
ne, fuerit maturum, & idoneæ fermentationi suscipien-
dæ aptum, delatae eam, certo in puncto, particulis ad
unionem in sanguine requisitam dispositis, secundo ele-
mento hic illic expulso, motui primi elementi aliquatenus obsequentibus, inferant mutationem; ut inde gene-
rationis exordio suscitato, ovuli, post intumescentiam,
& ruptam ovarii tunicam, depulsio, atque ejus, ob fimbri-
rias, spirituum in earum, & oviductus fibras influ-
xu, ad ovarium adductas, intra oviductum receptio, &
ejusdem motu peristaltico in uterum deductio successive
sequuntur, tunc mulier grida facta, ac concepisse
dicitur.

VIII.

E contra Sterilis vocatur, cui eadem neutiquam, con-
tingunt, unde *Sterilitatis definitio, quod sit in iis,*
quæ debitâ ætate viri fæundi consuetudine utuntur,
concipiendi impotentia.

IX.

Excluduntur autem à Sterilitate, quæ semper abor-
tiuntur,

tiuntur, omnesque fatus maturè nimis proferunt, quæ, licet soleant appellari, steriles tamen minimè sunt; cum conceptio præcesserit sterilibus denegata: Requiritur etiam conveniens ætas; quippe in junioribus, nec vir admittitur, neque ex ejus semine particulæ spirituosiores sufficienter poros uteri penetrant, neque cum ovulorum materiâ non rite dispositâ, quæ forsan, ut in pueris, aquosior, & tenuior per lymphatica sanguini tota redditur, requisitam subeunt fermentationem, etenim *non omnia fermentantur ab omnibus*, quod etiam obtinet in vetulis, quarum in sanguine, fermentationis robore labefactato, deficient particulæ tam activæ, quam nutritiæ, hinc secretionibus imminutis, partium tubuli requisitis humoribus non sufficienter replentur, atque ob rigiditatem minus dilatabiles inturgescere renunt.

X.

Quocunque vero in mediæ ætatis mulieribus conceptionem invertit, *Sterilitatis* causa appellatur, quæ ut cognoscatur, quo ordine, & modo viri semen debite communicari, suamque energiam ad conceptum præbere impediatur, à vagina facto initio, primum via partium genitalium, dein sanguinis, quatenus Sterilitatem inferunt, examinando, inquiremus.

X I.

Itaque vagina æque à labiis, post excoriationem ab acrimonia urinæ, sive à nativitate &c. unitis, ac à membrana solida, & impervia, in initio vaginæ, loco hymenis, nympharum expansionis, locatâ, quam à lateribus

ribus concretis ex mala ulceratæ curatione integre occlusa, virum, ejusque semen omnino excludens, Sterilitatem infert, quibus vero exigua remansit apertura à membrana, vel coalitu, licet ob impeditam copulam imperforatæ sint dictæ, difficulter, non tamen, omnino neutiquam, concipiunt, cum ejus conceptionis plura dentur exempla: cu uscunque porro generis tumores, si tanti sint, ut sinum obstruant, præcipue scirrhous, qui non solet imminui, qualem post uteri inflammati curam, perperam adstringentibus factam, invenisse se refert Hildanus cent. I. observ. 66. aut sarcoma, referente Kerkringio observ. 53. quod ex ulceris immundi limbo miram in molem fungosum quandoque excrescit, vicinâ cuticulâ laxiori prolongationem non coercente, aut cancer occultus, & similia, omnino idem præstant, quod occlusa vagina, quibus magnitudo clitoridis pro ænigmate est;

Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium:
Vel vaginæ nimia a nativitate, circumvicinâ compresione, aut procidentiâ est angustia, uis opportune coëundi, non vero concipiendi denegatur aptitudo.

XII.

Constat clariss. author. Aquapend. Diemerbroeck ut & Schacht. Drelincurt. Hermanni Nuckii, fautorum, & præceptorum meorum ad rogum venerandorum, nec non Theodori Graefii, celeberr. viri observationibus, uteri cervicem repartam, modo conglutinatam, modo membranâ quadam coöpertam, quandoque à materia viscidâ indurata gypsum referente, alibi scirrho ingenti, vel pluribus scirrhosis, & aliis tumoribus obstructam ingressum femini præcludere, atque conceptionem excludere, his

forsan non inepte addideris orificio ex laesione distortum, latera ejus cartilaginea, & indurata, fibram apertio inservientium paralysin & similia, quæ priorem difficultem partum insequuntur; inde quoque uteri hiatus, quod conceptio forsitan non impeditur, sed conceptum utero elabitur: quod vero omentum rete adiposum adeo molle os uteri comprimeret, vix fidem meretur.

X I I . I.

Ipsò in utero occurunt successive sese sequentes, tumor, scirrus, calculus.

Tumor quippe ex crassis viscidis irregularibus constans, lubricis & tenuibus fugatis, sensim inveteratus induratur in scirrum, qui pluribus tandem terrestribus, & solidis, angulorum rigiditate, & constantia paxillorum instar inter viscosas intrusis in faxeam & cohærentem, præ particularum attritu continuo lævigatarum, laterum ad invicem æqualitate, & aetheris regulari, & non interrupto transitu, (exemplo sint binæ laminæ marmoreæ lævigatae, & invicem impositæ, vix magnâ vi distrahibiles) duritiem commutatur: adjunctæ his hydrops, cancer, hydatides, sive vesiculæ aquosæ uteri cavum opulentæ, nec non remanens post irritum conceptum ex vasorum directionibus in ovulo turbatis mola, quin & atheromata, exulcerationes, pure semen involvente, & poros uteri obturante, aliæque pororum obstrunctiones ex materia viscida, flatulentiâ saepè concomitante, vel aliis de causis factæ, spirituosiores feminis particulas sanguine, ac consequenter ovo arcendo, conceptionis sunt impedimenta.

xii

X IV.

XIV.

Culpantur oviductus, dum ovulo transitum ad uterum denegant, cavo eorum obturato, quod modo a callo, modo a calculo factum deprehendisse se refert *Doleus*, ab extravasata lympha testatur *Tulpius*, à materia viscida glutinosa, laterum conglutinatione, tumoribus, & similibus affectionibus præclusos observarunt alii Auth., & licet exempla sint conceptuum, ubi ovulum ad uterum non devenerit, uti id foetuum extra uterum in oviductibus, abdominis cavo, ipsoque in ovario repertorum probant historiæ, & meminerim nobis in collegio ab incomparabili, ac dexterimo Anatom. Professore *D. Nuckio* fuisse monstrata intestinis, & omento suis umbilicalibus adhaerentia ovula, in quibus jam erant formati foetus; attamen cum sit insolitus, & præter naturæ ordinem, sterilitatis causam cognoscimus, ubi requisita defunt; quibus ovulum ad uterum deferri debet, vel suscipi intra ovi-ductum, hinc ejus orificii clausura, fimbriarum ovario se non applicantium paralysis, & similia male audiunt.

XV.

Non minus accusantur membranæ ovarii ab intumescente ovulo vix, aut non rumpenda crassities, nimia pelliculæ ovuli in itinere diffraeturæ tenuitas, hydrops in ovarii notabilis, sero extravasato, aut intra hydatides concluso, materiae ovulorum in atheromata, vel steotemata &c. mutatio, aut alia talis secundum particulas, & poros dispositio, ut illa, quæ inter ovuli contentum liquorem, & spiritum seminalem intercedere debet, non adsit propria, hinc forsan non inconvenienter deduxeris, qua-

re

re in priori (fæcundo licet nuptæ,) steriles subsecente conjugio mox fæcundæ apparet, nec non cur diutius steriles longum post tempus eodem in conjugio concipi-ant, mutatione facta universim tam in solidis, quam fluidis corporis partibus.

X V I.

Quippe fluidum præcipuum, h. e. sanguis graviori intemperie crassâ terrestri inquinatus, non solum antecedentem occasionem variis partium dictarum morbis, obstruções producendo largitur, sed etiam ovulis ineptam requiritæ fermentationi præbendo materiam, tum ibidem, tum in tota sua massa vim particularum seminalium contrariis acidis, sive aliis extingendo, crassis involventibus infringendo, aliisve modis minuendo, sterilitatem infert, & quandoque simul efficit sterilitati conjunctam fluxus menstrui suppressionem, usque adeo invicem relativas, ut sæpe sint effectus unius, ejusdemque causæ, atque alterutrius curatio alterius remedium sit, spiritu feminis masculini majorem in sanguine fermentationem introducendo vid. §. VII. attenuationis, spirituum productio-
nis, & secretionis majoris, motus progressivi acceleratio-
nis, viarumque refectionis, & adhibitis adhibendis,
suppressionis sublatae existente causa; vicissim fluxu men-
struo, educendo crassiores, & motui ineptas particulas,
numero, & vi notabiliter prædominantes; aëris elasti-
cis motum oscillatorium, atque hinc in sanguine fer-
mentativum augendi datâ libertate, proportionem inter
sanguinis constitutivas, ad robur fermentationis majus,
debitam, atque consequenter attenuationem, spiritus,
vires, & vigorem conciliante: hinc iis non vivere, sed
valere vita est potior, in omni quidem intemperie mi-
nuitur

nuitur fermentatio sanguinis, sed præcipue quæ dicitur, summo gradu crassa viscosa terrestri complicata, fermentationis imminutæ, obstructionum ubique factarum atque *Chloroseos*, suppressionis mensium, & sterilitatis, fons, & origo existit.

XVI I.

Ex illegitimo non naturalium usu mulieres, formæ pctius, quam sanitati studentes, hanc sibi comparant sanguinis dispositionem, adeoque quæ fructibus crudis, oryza, cretâ, &c. aliisque terrestribus, viscosis & austerioris ventriculum, & sanguinem implent, quieti, somno, mærori, odio, similibusque passionibus nimium indulgent, ne concipient, multum conferunt. Excreta omnia, haemorrhagiæ, diarrhææ &c. sanguinem activis, & balsamicis multum depauperando, vasorum collapsiones, obstructions pertinaces, hydrope, tabem &c. inducendo merito taxantur, ea propter excusandus non venit fluor albus nimius, vel ex inveteratione in pejori statu flavus, viridis, acris, eadem jam dicta producendo, qui præter hæc, atque quod sæpe vitiis uteri, & vaginæ supra recensitis occasionem exhibuit, efficit, ut foecundato ovulo mox cum effluente humore utero elabente, conceptus fiat irritus.

XVIII I.

Affectus diagnosis conjugum quærimoniis patescit, causarum signa diligenti inquisitione, accuratiore inspectione dijudicari quandoque possunt, cum multæ nihilominus difficillime cognoscantur. Vagina in initio clausa, conglutinata, membranâ obducta visui se manifestat, ul-

tra initium tumor, membrana, parietum conglutinatio, intruso digito, aut adhibito matricis speculo dignoscuntur, huc conferente cognitione ortus, à nativitate, ordinario membrana, inflammationem, exulcerationemque magis insequente scirrho, & coalitu, sic tota exulcerata vagina, quandoque tota coaluit, farcoma, aut procidentia propendens proprio se produnt indicio.

Uteri cervicis membrana, conglutinatio, à tumore, vel scirrho obstructio, latera ejus cartilaginea, hiatus, dico, speculo matricis, aut specillo intruso investigantur.

Uteri scirrus tumor in infimo ventre duro, renidente, citra dolorem (qui pungens & vehementior est in cancro occulto, & in aperto cum fluxu puris) sensu ponderis, mensiumque suppressione cognoscitur, præcipue si inflammationi, aut fluentibus lochiis post refrigerationem, aut adhibita adstringentia successerit.

Calculus dolore uteri grayativo, compressione exacerbato, quin & ex resistentia catetheris immissi dijudicatur.

Hydrops ex æquali tumor, non multum resistente, cum quadam fluctuatione, quæ, ut tumor, minores sunt, si lympha hydatidibus, vel inter ejus tunicas contineatur, aperto orificio non effluendo, manifestatur.

Molæ æquali tumor, nulla adest molilities, aut fluctuatio, sed sensus duri, ponderosique corporis à conversione in latus instar lapidis &c. procidentis.

Obstructionis uteri, & pororum ejus indicia ex suppressionis, alia per loca fluentibus menstruis, uteri inflatione, & similibus pluribus petuntur.

Quod attinet ovi-ductuum obturations, aliaque ejus, ut & ovarii vitia (si utriusque hydropem non nihil tumore in utroque latere cedente, cum fluctuatione se indicantem excipias) de iis tantum pauca conjecturare possumus,

ubi

ubi nihil à parte viri deficit, aut nulla apparent reliquarum partium, aut sanguinis vitia, quæ ultima ex lœsis functionibus totius corporis, virium defectu, lassitudine, mutato corporis habitu, antegressæ diætæ culpabili regimine, excretis & retentis, suppressione mensium, fluoreque albo nimio, & ex relatione facillime cognoscuntur.

XIX.

Prognosis sterilitatis in se consideratæ, individuis multum periculi non minitatur, nisi ratione causarum, quæ sœpe quidem periculo plenæ sunt, sed cum illæ tales non sint, quatenus sterilitatem inferunt, ejus periculi consideratio huc non pertinet, adeo ut prognosis eas tantum respiciat ratione facilitatis aut, difficultatis curationis. Initio factò à vagina, si labia ejus conjuncta, unita, aut glutinata, vel ipsa occludatur hymene, aut pelliculâ alibi innatâ, superficietenus, & non profundius, cura diffcilis non est; ita tamen ut à carne conglutinatio difficilius dissecetur, & majori cum hæmorrhagia, quam quæ est à membrana: ubi parietes circa finem, aut tota vagina concreverint, vix debet tentari curatio, idem de scirrho in veterato, cùm sœpius ad cancri naturam vergat, atque vaginam implente sarcomate, pronuntiatur: Rugosæ vaginæ procidentia, nisi admodum magna, aut grave contraxerit vitium, non ita difficulter reponi solet.

Internum uteri orificium membranâ clausum, vel ejus latera conglutinata, si sint, cùm scindentia instrumenta tam altè sine manifesto periculo nequeant pertingere, Aquapendens incurabilem pronuntiat casum! fibrarum paralysis, ut & in utero scirrus, latera cartilaginea, diffculty curantur; facilior orificii obstructio à materia visci-

da indurata, quæ quamvis vix dissipetur, attamen deducto hoc orificio, sine magno incommodo educitur.

Minor in utero mola sponte quandoque expellitur, quæ admodum grandis, aut diu hæsit, propter dolores, & hæmorrhagiam cum periculo tollitur.

Calculus uteri, ut & ejus alia contenta, curam expulsione, licet diffici, non respuit. Per magna in hydrope curandâ molestia, contrarias ob indicationes, vasorum lymphaticorum disruptionibus consolidandis, & obstructionibus referandis: idem de ovi-ductuum, & ovarii hydrope, quorum malæ conformatio vitia, vix sunt curabilia; materiæ ovulorum inconveniens dispositio, nec non mensium suppressiones, magis aut minus curabiles, prout intemperies major diuturnior, vel secus fuerit. Idem de fluore albo nūnio censendum est.

X X.

Curatio ex triplici hauritur fonte, chyrurgico, pharmaceutico & diaœctico: nos, quatenus triplici hoc auxiliorum genere opus habemus, ea serie, qua causas proposuimus, curam adjungemus.

Primo loco occurunt labiorum, aut vaginæ, per carnem, aut membranam coalitus, nec non mediocre sarcina, & quandoque orificii uteri occlusio manum per chyrurgicam tollenda, cum per corrodentia absumptio neque promitti, nisi longo tempore perfici, & absque immanibus doloribus fieri non possit; itaque foemina resupinâ jacente, cruribus ad summum ventrem contrariis, femoribus divaricatis, poplitibus subjiciuntur ulnæ, & ad cervicem alligantur, vel firmiter tenentur, ne impedimento sint in operatione, navacula linteolo, ut pars, quæ sectionem perficit, libera sit, aut cultro intus.

tus; non extus, acuto, & recurvo, sectio exacte, & lente à summo deorsum instituenda, eaque facta, ne iterum fiat coalescentia, intruso tubulo plumbeo, vel argenteo, aut quod potius, spongiâ pulvere cicatrizante aspersa, latera invicem dedueta ad plenam curationem usque servanda sunt: si autem quæpiam sectionem renuat, aut nimis internè vitium hæreat, aut speculo matricis apertura facienda, & dilatanda est, aut a corrodentibus levioribus incipiendo, & successive emollientia injiciendo, absumptio tentanda est: Clitoris magnitudo excedens apud Ægyptios, aliosque præscindi solet. Tumoris, aut scirrhi, quacunque uteri in parte cura instituenda est circumspectissime, attenuantibus, & emollientibus, ita, ne subtilioribus discutientibus major fiat induratio, neve humidis emollientibus proserpat tumor, aut in abscessum mutetur, vel cancrum; quem potius est non attingere ex Hippocr. sententia: adhibentur autem *pessaria, injectiones, suffitus, balnea, ac incessus*, modo commode eò devenire posint.

Quæ in procidentia uteri, aut vaginæ adhibenda sint practici ubertim docent, spongiâ, cerâ, subere, annuli, aut trianguli figurâ, quæ neque coitum, neque mensum fluxum impediunt, palliari potest.

Hiatus à paralysi fibrarum, ut alia nervorum obstrucțio per attenuantia referanda est: Hydrops uteri, vel ovarii, requirit similem, ac quælibet alia curacionem.

Ad materiæ glutinosæ, calculi, & molæ expulsionem emollitis prius per fomenta, & injectiones vaginali & orificio uteri, clysteres acriores injiciendi sunt, sique à contrahente utero non expellantur, hunc in finem, sternutatio, abdominis compressio, & reliqua, ut in expellendo.

lendo foetu, usu veniunt, fæminâ eodem, ac diximus in sectione modo locatâ, per digitos, aut forcipem e-ductio tentanda est: speciatim mola si firmius hæserit, ut placenta, digitis, cuius ungues resectæ sunt, oleo illi-tis, separanda, & educenda est; sanguinis motum im-minuentibus, leniter emollientibus, & adstringentibus, si quis adsit, sistendus est nimius sanguinis fluxus; ubi omnis fluxus menstruus cessat ab eadem sanguinis in-temperie, atque inde enatis obstructionibus Sterilita-tem inferentibus, omnis cura dirigenda est ad sanguinem; quod itidem fit in fluore albo, ut crassis viscosis incisis, austeri terrestribus imminutis, reducatur in eo debita particularum constituentium proportio, atque consequen-ter robore fermentationis adacto, obstructionibusque re-seratis, redeant menstruatio legitima, &c ad concipiendum requisita aptitudo.

Hunc insinem laudantur, præmissa v. sect., nisi quid contra-indicet, inter attenuantia & menses promoventia, *Tart. vitriol. Borax Gumm. galban. asa fætid. castoreum, succin. capbur. ol. sabin. croc. oc. 69. Limat. mart. & similia.*

Inter purgantia *resin. scamm. jalapp. agaric. extract. catholic. hellebor. mercur. dulc. rad bryon. &c.* sunt que ex his, & aliis plurimis, quæ recensere supervacaneum est, decocti, mixturæ, boli, pulveris, tinctur, baln suffitus, & sic porro formulæ præscribendæ variæ; cum medicamentorum variatio multum confertat: quippe eximum quid innuente *Verulamio*, possunt, pollutque ordo, prosecutio, series, & vicissitudo artificiosa.

23 *fumig. coniuncti v. monach. eq. aq. antimon. & opif. sicut illas formæ essentia non solum in obstrunctione utrūq. in danz. tumefactio non enim obstrunctione illibatoe utrūq. supponit. & obstrunctionem causat. CO-*
abucl. &c.

GOROLLARIA.

I.

Fæmineum sperma esse conceditur.

II.

*Fæmina facunda fovet & excludit ovula,
virgo tantum subventanea.*

III.

Ovula in ovariis corporali spermatis masculini contactu facundantur.

IV.

*Conceptio & formatio embryonis in ovario
funt.*

V.

Formatio embryonis in utero perficitur.

VI.

*Sperma masculinum est principium actuum,
famineum passivum & nutritum.*

Vir-

C O R O L A R I A

Virgines illa sa virginitate impragnari possunt.

VIII.

Lactis praesentia non semper signum est corruptae virginitatis: multo minus ingravidae.

IX.

In utero fit fetus nutritio per os.

X.

Fetus in utero respirat.

XI.

In muliere prægnante. v. sectionem, & purgationem instituere licet.

F I N I S..

IV

